... Cas.
...ensis
Thorunensis, Graudentini et Mariaeburgensis Colleg[ii]
S. J. Culmen honoris.

CULMEN HONORIS,
&
Altum publicæ felicitatis fundamentum,
LAPIS PRÆSULEUS.
Illustrissimi, Excellentissimi, & Reverendissimi Domini,
D. JOANNIS CASIMIRI
AB ALTEN
BOKUM,
DEI, & APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA;
Virtutum merito,
Communi Prussiæ votô,
EPISCOPI CULMENSIS,
&
POMESANIÆ.
Regni Procancellarii,
ABBATIS CZERVINENSIS;
Ad fastigia Gloriæ immortalis,
EVECTUS.
à devinctissimis Diœcesanis, Prussiæ Regalis,
Collegiis Societatis JESU, Torunensi, Graudentino, Mariæburgensi,
profundissimo cultu,
ADORATUS.
Anno Lapidis Angularis
MDCCXIX.

THORUNII
Impressit Joh. Nicolai NOBIL. SENAT. & GYMN. Typographus.

Quis junxit lapides ostro? - - - - - - - - *Claudianus.*
Crescunt miracula Saxi - - - - - *Virgilius.*
Saxum,- - - quod, à summo jam vertice rursum
Volvitur. - - - - - - - *Lucretius.*
- - - - - Superisq; habitabile saxum. *Sylvius.*
Templa novo decorare saxo -- - - - - - *Horatius.*
- - - Signataq; saxo - - - - - -
Nomina - - - - - - - - - *Ovidius.*
Hunc homines lapidem mirantur. - - - - - *Lucretius.*
- - - - - - - Notat meliore lapillo,
Hîc omnem fortuna virum. - - - - - - *Rutilius.*

JLLUSTRISSIME
EXCELLENTISSIME
REVERENDISSIME
ANTISTES.

Erige spes humiles, demissos erige vultus,
Atq; paludatum, superindue Prussia cultum,
Præsuleus sic mandat honor; Præcelsus ab Alten,
Nil humile exspectare jubet BOKUMIUS: *alto*
Orbe vehit Saxi, populis adamante recusam
Fortunam, solidatque vices, ne lubrica gressu
Diminuens splendore diem, brevis incola tectis
Obliquum meditetur iter; se sternit in ima
Fundamenta Lapis; *succollant Saxa penates.*
Magne modò Antistes fessis quem Prussia votis
Ardet, & erecto de vertice Culmen *adorat,*
Impertire Caput Mitræ, *impertire* Tiaræ
Culmensi *placidam frontem;* Te Præsule *quantus*
Surget apex! superat major, fastigia virtus!
Hinc, pedibus subjecta Tuis, *se Purpura supplex*

Sternit

Sternit, honorq; novo, ceu sublimandus honore,
Præsuleos humeros ambit, redimireq; vittis,
Ni renuas, & Purpureo radiare sereno.
Culmine *prospectant* Mitræ, *& patulo ore queruntur*
Excessum meriti! quidquid sublime putatur,
BOKUMIO minus est; nam plus virtute meretur
Quàm teneat; sublimis apex & Culmen *honoris*
Ipse sui, Tyrium Latii non sufficit ostrum?
Sufficiet rubeus, quem promet Roma, Galerus.

OMnem movemus Lapidem, universis suadæ membris, & toto in suppetias vocato robore, desudamus, ut Saxum Tuum, ultra Carpathi culmina attollamus; nec pudet Sisyphos esse. Cui etenim grandes Titulos ad perennitatem sæculorum, firmiùs? ad Fastigium Tuorum meritorum gloriosiùs inscriberemus; quàm adamante firmiori, Tiaris evecto Lapidi? Non aliter tamen, sub eminente BOKUMII Saxi pondere, elogia nostra laborabunt, nisi ceu sub Cælo Atlas; sub adamante annulus; sub gemma conchilium; ut non facilè quisquam distinguat màgisne ornet, quàm oneret? pondusne sit, an monile quoddam Reginæ eloquentiæ? Conciliat nimirum, gravitatem levi ex se calamo, folio splendorem, quod ceu sub pumice radios evibrat, diciturq; Regale, id est Serenissimum. Jlla ipsa penna, quæ Te Antistitem, Poloni Iovis delicîum, tanquam Ganimedem (si attolli potes, qui meritorum magnitudine excedis honorum culmina) elevat, tantùm non astris inseritur. Vide Præsul beneficentîssime, ipsos etiam Oratores, qui primarum cogitationum impetu Tibi advolvuntur, ceu alatos Mercurios, in sublime eluctari; ad Tui elogii argumentum, ad exaratas aurei Præsulis laudes, veluti atta-

ctu

ctu melioris Midæ, reddi pretiosos, reddi fortunatos Perquam enim avida est mens mortalium, primos exorientis beneficii radios, ad se dirigi; primos fructus decerpere; & plerumque inter felicitatis fastigia recensetur, fuisse participem fortunæ. Sic montium apices tantùm non trabeati, quòd primò solem viderint.

Sed quid attollendo encomiis, Antistitis *Lapidi* pares humeros jactamus? qui totus quantus est, (totus autem est boni publici Achates; infortuniorum Scylla: totus aureæ mentis, plusquam Lydius.) Sive prægrandi virtutum, & originis mole; sive profunda, repudiantis laudes, animi demissione, in altum nostræ felicitatis agitur. *Agitur* autem peritissimè, ut securam perennitatis, & nullo temporum confinio lædendam sustentet, erigat, imò condat etiam publicæ felicitatis Regiam. Quantus enim es Præsulum Eminentissime, (es autem Summorum compendium, & compendiorum apex] totum *Te* Præsulem, *Senatorem*, Procancellarium, & quod maximum est, totum BOKUMIU*M*, in commoda prodigis populornm. Quid enim Præsulei diadema Capitis, nisi fatiscentium sua sub calamitate Civium tænia? Utroque cornu, infortunia à *Provinciis*, Provincias propulsat à peccandi libertate; exorat unà hiante ore, grandi anhelitu, â superis beatitatem omnibus; quanquam cùm *Pontifex* sis potes alrerum imperare, alterum impertire. Infula Tua simulacrum est gravissimè suspirantis animi pro incolumitate publica; aut certè Erythræum conchylium, tantùm non lacerat viscera, ut gemmis potiorem effundat cordium unionem. Jlle etiam Sacerrimus Coronæ Tüæ apex, Crux scilicet Præsulea, supereminens fronti, documento est, Cruces Patriæ, assiduam remedii meditationem, *Antistitis* prima semper in fronte esse; atq; ut alii, triumphatis Regionibus, Germanici, *Scythici*, Macedoni-

ci Nominâ induerant; ita Tu post deletas malignæ sortis copias, Crucis trophæum attollis vertice, sacrasq;. Alteram torqui insertam promittis collo, alteram Jllustrissimi Capituli Crucem recondis pectore, ne genus humanum gravetur. Sic Herculem adstrinxit Tyrus, ut se evolveret periculis. Sic noctes affigunt Cælo Oriona, Leonem, ursas; ne latiùs pavor habitet, quàm homines. Impertiris Te integerrime Præsulum, imò Te totum, mortalium necessitatibus elocas; hinc tantus beneficii excessus, Cruce plectitur Pontificia, multiplicata etiam; ut tali conspicuus ternario non possis, nisi tanquam Beatissimus, & primum, egestatis proscriptæ caput, adorari. Annulum porro, sive Regni, sive Episcopalem induisti manui, arrham desponsarum nobis gratiarum, ne JOANNIS duntaxat nomine pollicereris. O ingentis prodigia gratiæ! non tantùm in fastigium felicitatis evexisse, intercessisse inopiæ; sed providere etiam stabilitati, & fortunæ! Annulus nempe Tuus fortunatior rota est, Polonum axem circumagens, & æternitatis symbolum certissimum, perenniter se volventium gratiarum. Aut certè Gygis annulus est, intercipit omnem calamitatis apparentiam, & videri vetat. Scipione verò Pontificio, quantùm assurgunt collapsæ spes mortalium! haud aliter, quàm solis Regia fusis luce solida colossis. At cùm regnet Tuo in solio fortuna sublimior; Pedum Pastorale, in Sceptrum degenerat, quô ut Iupiter convocas grarias, jubes, disponis. Jlli autem, quorum indigentias auro redimis, siccas splendoribus lacrymas, & fortunæ accendis diem, auream Mercurii virgam autumant, tanquam Æneœ prodromam ad Regna opulentiæ. Hæc tamen nullo cingitur serpente, ut vota exsibilet; extrahit aculeum calamitatis, non infligit, alata est, ut conciliari possit cum celeritate Tuarum gratiarum,

Inge-

Ingenium Tuæ munificentiæ excedit captum, tunc ſcilicet reddimur felices, cùm optas: quæ pollicetis æquè ſecura ſunt, ac ſi tenerentur, & ideo poſſeſſa ac posſidenda pariter delectant, prima delibatio gratiæ, eſt quædam ſatietas. Murice Tuo paludata communis procedit egeſtas: in penſum abit Purpura, quod in aureæ vitæ filum operoſæ ſolvunt Gratiæ, non *Parcæ*. *P*erinde eſt, ſub tela hac recondi, & eſſe Felicem. Tuus igitur honoris apex, calamitatem ſublevat; communis felicitas promanat ex Te; ſufficitq; , Te reddi beatum, ut omnes ſimus. Adoraris Pontifex? & univerſos fortunatiore vivendi ordine initias; infortunii mole aggravatos, Præſulea abſolvis manu; fatorum inclementiâ pœne ſepultis, impertis ſublevationem. Cũ itaq; omnes integerrimi *Præſulis* partes impleveris, nihilominus, vix ægrè, parte Tui, laudari potes. *Tan*tum ſcilicet meritis *T*uis ineſt pondus, Purpuratiq; ſenii gravitas! ut non facilè attollaris etiam elogio. Partitur *T*e proinde audax ſtylus noſter Polonum *P*ræſulem, in fruſtaq; quodammodo diſcerpit, ut alterum *STANISLAUM*, citra vulnera tamen, ſed non ſine purpuratæ gloriæ profluvio. *M*anes nîhiloſecius integerrimus, cùm ita exdivideris. Ardent aliis illuſtres tituli, ſed tanquam Siculæ turres, ut peſſumdent omnia terrore, & majeſtatem famæ conciliet plebis trepidatio. Faſces innectunt ſecuribus; ceu punctum honoris eſſet, vulnus acerrimum, & ambitionũ *R*egio, non vano nomine, ingens plaga. *A*liter Tu Præſul Maxime; aliter *A*lteniorum Proſapia, quæ cum BOKUMIJS eadem eſt, *O*rbi illabitur: uterini illi ſplendores vitæ, & gratiæ. Odiſſetis lucem, ſi hæc ſtatim bono communi non ſacraretur. Atq; ut Pactoli fontes, ſtatim auriferi; ita primus, BOKUMIORUM ſanguis, quô purpuræ colorantur, & Regna vi-

vunt, humanô generî saluberrimus.

Primum Jllustrissimæ Alteniorum lineæ, ceu honoris punctum, LAURENTIUS ab Alten FRIDERICI BARBAROSSÆ, Romani Imperatoris, adversus Principes Infidelium Comes, cor & plusquàm assertor. Jllius sive Nomen sive æternatura introspicias opera, totus triumphalis fuit, totus inter ferventes Lybiæ arenas Marte incalescens, contra callidissimum Saladinum veluti Romani, flammam custodem, Imperii, nutriret pectore. Conquirebat exercitui universo annonam, mortes hostibus, ambrosiam suis propinando; & tantùm non Jovis craterem. Sustentavit adeò enervatas Fidelium vires, omni alimentorum genere copiosissimè, ut pulchro nomine, Exercitus, Copiæ dicerentur, æquè Viris ac cibariis instructissimæ. Novum ille venalis alimoniæ commentus pretium, à recusante Bulgaria, aurum statuit emendum ferro! auditus etiam; Darent sponte merum, aut adacti sanguinem: ferrent lances, ne lanceis feriantur, & pro bellariis cruenta ferant bella, semesaque cadavera suæ tabi innatantia. Et facilè persuasit Gallicanus Hercules, datis in vincula reluctantibus. Sic Fridericus, ducebat militem, hic alebat, hic vires, ille animum, ille famam, hic vitam augebat. Non ignoravit, honestam fortium virorum ambitionem, primam pro Patria arenam ascendisse; primæ, proinde Cohorti, Dux Laurentius ab Alten præficitur; primam fracturus glaciem belli. Spirabat se toto Gradivum, & multo, quantùmvis hostium tabo ebriæ, marcescebant Othomano herbæ, triumphales collucebant pyræ, ignibus gloriosis Friderico. Quamcunque enim, gravi hostibus vestigio, pressit tellurem, è vestigio, in pulchram sementem gloriæ, contendebant palmæ, in frontem serpebant laureæ. Hinc, certatum plerumque acrius ab omnibus, de Duce

Jllustrissimus Laurentius ab Altē Bokumius cō tra Othomanos Dux Strenuissimus.

de Duce Altenio, priusquàm confligeretur cum hoste, & triumphus quidam, dubiâ belli aleâ superior notabatur, Ducis ab Alten signis victricibus. *Prodigus* nempe juxta cruoris in hostes, atq; in Commilitones laurearum adeò, ut peramœno [si livor exesset] recrearet pupillam spectaculo, laureatam vidisse legionem, Laurentii Ducis, magnis passibus connitentem. O quoties ut Niobe obriguêre Othomani! obstupuêre Thraces! vim quandam humanâ majorem, supparem tamen Altenii virtuti, Gelones admirati! quæ suis, ferrum manibus, cor pectoribus, vitam deniq; ipsam, mille enutritam mortibus, extruderet; & ignorabat rudior barbaries, se in magneticum Saxum BOKUMIORUM offendisse, quod, chalybem excussum, longè attraheret, allideretq; ceu scopulo, cruore animas naufragantes. Expalluit Cynthia, ad ejusmodi sanguinis profluvium; toties ad suæ lucis deliquium fatalis nola, invitas *Turciæ* aures lacerare credebatur; quoties obstrepuêre reboantium armorum sonitus, qui longiùs repercussis Euris pavorem detulissent, ne laboranti Lunæ succurri posset, antè, horrore perculsâ dexterâ, quàm globo. Secunda omnia, Ductore hoc fortunatissimo si primam legionem prætereas, quæ potiore merito inter primas maximè computanda, quia secunda nulli. *Ea* Gens, estis BOKUMII, ut, si præire velitis *Augustissimis*, nemo Vobis prior; si succedere, nullus *Principum*, Comitumq; honoratior comitatus. *Legati* à latere, à corde Imperatorum Ephestiones, ex utroq; si non Cæsares, Cæsarum tamen Parmeniones fidissimi, Strenuissimi. Quocunq;, tandem excurrerit Virtus prodroma Laurentii, victore ferro laureas demessuit, quibus in suâ, Imperatoris frontem redimiret. Ultro se, sub manipulos, maturior seges clypeata Virorum, conferebat, ne spes duntaxat in herba aleretur. Habenis

 haud

haud ita pridem adacta, effrenis Bulgaria, abunde commeatum supervexit equitibus, sed nova bella procreabant bellaria; submissæ dapes irritabant gustum gloriæ, neque sopiebant orexim triumphorum. Frons totius exercitûs *A*ltenius, grandi minarum supercilio, vibrans fulmina ut Jupiter, Ulysses consilio, potenti Diomedes manu, & *Ajax* fortior. Non tamen prius, gregarios, sub signa aggregaverat, quàm, frangi nesciam virtutem, exploraret Saxum. Aureus Dux passim declamari solitus, sed in chalybem recrudescere elegit, ni profundiùs, in pectus injectas, *M*avortis iras, decoxisset. *T*erere triumphali vestigio Palæstinam, conterere Cynthiæ cornua, in votis erat, Orientem eclipsari, perennem Austriæ, imò Christiano Orbi meridiem invehere. Quid memorem vocalia, famæ Martisque lituis, Nomina? ex amplissimo victoriarum theatro; quid in campum *T*ullii deducam Triarios invictissimos? *A*lbrahtum ab *A*lten, Ernestũ Carolumq;? *M*agni occurritis quantumvis regalibus foliis *A*ltenii, majores in acie heroes, heroumq; Duces maximi, vel ab Imperatoria clavâ *A*lcidæ, *A*chilles, Hectores.

Fatigat calamos, fortitudinis bellicæ agilitate abreptus *A*lbrahtus ab Alten, tota quâ valuit (valuit autem maximâ) contentione virium, bicipitibus præcurrit Aquilis, ad mille fulmina interritus, vel ipsa ausus provocare pericula, fecitque, quæ Mars fecisset ipse. Geryonem dixerim, sexcentis, tela, pectoribus convellentem, totidemque protensis dexteris, laureas ex hostium manibus protrudentem. Vix ille *M*artium calcaverat campum, surgebat sub pedibus seges Cadmea, clypeis, hastis, expedita, quæ collabentibus adversæ aciei copiis, armorum copiam daret, erigeret trophæum velinvita. Ruebant truncata hostium corpora, ad plantas Altenii, humili sepulchro, sed alta

strage!

ſtrage! ne perenne, mortuorum quantùmvis, deeſſet Victori homagium. Duriorem ferro glebam ad meſſem gloriæ excolebar, Marte incaleſcens, ceu Vulcaniis flammis, ferream hoſti excoquebat ſervitutem, cudebatque malleus ille Tartariæ compedes, non facilè exuendos. Tantum pede perterruit! protrivit! profligavit! quid? ſi totam exeruiſſet dexteram? Pilam ludentis fortunæ, ignitorum grandines globorum, autumans, in caput hoſtium eliſit, eluſitq; veſanum, ferri, impetum. Auſter, bellorum ſufflabat incendia, contiguam ſenſit Oriens flammam, devitans charybdim, ceu in ſcyllas, in BOKUMIORUM Saxa impegit. Adeò, fatum, fato ulciſcuntur ſuperi, ſi quiſpiam, arcanis legibus ſtatutum à *Numine* velit evitabile. Non ille, ſub frigido quantùmvis Jove, de *Martis* fervore remittere, imò, continuò, injuriis exaſperante Cælo, omnem ſenſum penitus exuere videbatur, præter guſtum gloriæ & triumphi, cujus ſpem optimam devoraverat. Imperium & non communis vigiliarum labor, Ducem à milite; Generalem diſtinguebat, à gregario; niſi, quòd hunc, arduis quibusdam perferendis, vilior ſors damnaverit; illum, ultro ſe mille incommodis, periculiſq; objectantem, virtus heroica impulerit, & fortitudo. Nempe Dux gregariorum dici meruit & eſſe; qualem optaſſet, contra *Annibalem* Fabius, Conon adverſus Lyſandrum, Marius in Iugurtham. Qui, utinam, retroactorum temporum, ſupervixiſſet teſtibus, Curtiis, *Liviis*, Juſtiniſq;! impleſſet profectò, ſæculis coævo Alteniorum Nomine, ingentes codices! auxiſſet centifoliis paginas, ſuo tamen anguſtas elogio. Quæ etenim penna, tantùm ſepiæ impenderit, fundendis encomiis? quantùm ille cruoris? In campum Martium liber abeat, laureæ in folia exuberent; tum demum faſtis Alteniorum facta, ad-

notari, hostium cædes exarari incisis, resecta colla, periodi colo, poterunt circumscribi.

Jta planè, postquam adoreis ampliassêtis campos, Oratores etiam, in angustias coegistis, veluti perinde indixissetis bellum hosti, atq; laudi propriæ; idem certamen calamis, quod gladiis, hastis, lanceis; nisi, quia ista, inserta animo Vestro persequeretur modestia; illum innutrita heroum pectore, percellat etiam virtus, frangatq;. Arctastis denique, totâ Europâ latissimè protensos tractus, uni Imperio (quod satis ad mensuram alti nominis est) vires & animum impendistis, & tot Imperiis Regnorumq; cardinibus tenemini! an veriùs Regnorum tenetis clavum ad clavam. Fidem jam hominum expugnatis, cùm illa, de Vobis credere debeamus, quæ nec ingeniosa Vatum commenta fingere, nec adscititiis fucatæ veritatis coloribus, unquam pingere potuit mendax assentatio. Providentes, publicæ integritati, nullâ, non estis orbis parte non integri; integro tamen universo, ne pars quidem Vestri comprehenditur. Altera manu Orientem, Occidentē altera, tenetis cum Macedone, serenatis cum septemtrione meridiem, tanta lumina! Hæc ipsa Provincia, in quam Te Antistitum maxime, gravi, meritorum honorumq; demittis passu, pridem, anteactorum tractibus

Jllustrissimus Ernestus ab Altē Bokumius Theutones in Prussia profligat.

sæculorum, in Alteniorum gloriæ campum abiît. Supersunt hodie etiam, nulla temporum vetustate, atterenda, Ernesti ab Alten vestigia magna, quibus Tu, ut viæ Appiæ insisteres; Ille prævit ad pompam honoris. Si verò ad *Jllustrissimi Capituli Culmensis* avitæ Crucis splendorem reflectas lumina? etiam hæc suffragatur honori Tuo, viam Regiam Crux adornat, Regalem in Te virtutem venerata. Olim pendebat illa, quàm propiùs pectori, tam à corde remotiùs Theutonico, nec præcidi poterat, quàm prærupto vitæ

tæ ſtamine. Proh Superi! quantum hic ordo confudit jus omne manu ferrea! Dux univerſarum Copiarum *M*agiſter audiebat, ſpecioſo cognomento, ſi rudimenta virtutum, primâ non eliminaſſet mente, non bene feriatus tyro. Ut tandem ad ingenium rediret, providêre Superi Erneſtum *A*ltenium, Attilam meliorem, mitiora minitantem flagella, ante arma. Obriguit hoſtîs pervicacia ad Saxum, ſenſitquè toties ſibi victore ferro, crucem fabricari, quoties in ſinum Poloniæ, exundans prædo, bona terreſtria auferret, prædivites diriperet gazas, Urbes Vicosquè plurimos, ſuæ faceret ditionis,ſed non juris. Succenſuit Sereniſſimus Sigismundus,malè dominanti libidini, maturèquè ſub ſigna vocavit manipulos, in alienam meſſem involantem, retuſurus falcem Saxo BOKU*M*II. O Superi! potuit quantum terræ pelagiquè parari! ultra maria procurrens, teneri limes, in ſua viſcera populo ſæviente! Objecit lernææ paludis monſtro, Herculem; Achillem, innumeris Teutonum millibus, Erneſtum *A*ltenium. Quis referat geſtientis Bellonæ claſſica? Gradivi tripudia? quibus laſſatus hoſtis cecidit! ſurrexit Pruſſia! fugatæ Victricibus Aquilis, ſanguinis noſtrî, vultures peravidi! Qui etenim per *P*rovincias ſigna diffundebat, ad ripam Viſtulæ deletus hoſtis! ultro ſe mœniis incarcerat, acie victus, vinciendus obſidione,ante compedes. Quanquam nec Caſtellis vallata, tuta ſatis unquam rebellio eſt. Proſequitur Erneſtus laureas, de diſperſis latè per campos, adorearum meſſem colligit, mox Mevam Svieciumq; advolat murali corona decorandus. Darent ſe,inquit, fidei *A*ltenii, fœdifragi, in herba ſua ſpem veniæ certiſſimam decerpturi, fœdatos cruore diluerent artus lacrymis, ſignisq; Regias admoverent Aquilas, niſi ceſſiſſe eligant, præda vulturibus. Sed ubi armorum

Lucan.

 ſtrepitus,

ſtrepitus, necdum ſanæ mentis otio ſopitus, omnem monitis viam intercluſerit; Igitur tonare *Tormentorum* grandine, pluere ignibus, ante fulmina. Quis ediſſerat? æſtuantem, heroum animo Gradivum, Altenio fulminante? in altas, fortitudine præcelsa, foſſas, ſe præcipites agere, alii ſcalas inſilire, alii mille disjicere repagula, portas cum Annibale effringere, illudere ſaltu mœniis! Cannas transmigraſſe in *Pruſſiam*, in Viſtulam ſe exoneraſſe Traſimenum dixerim, citra Capuam tamen, Vires Annibalis enervantem. Et jam facilè colligere erat, terris ſepulto hoſtium vultu, quantùm *Erneſtus* timeretur! ex facie exſangui diffuſum pavorem. Serò, poſt vulnera didicit hoſtis, poſſe quidem minas Altenii fugere, effugere non poſſe vindicias. Quantùm tunc, de elato ſupercilio Theutonica frons demiſerit? pectus de animo? artus denique omnes de ſpiritu? Temperavit tamen acerbiores ſingultus, lethalibus ſuperſtes vulneribus dolor, perennibus, nomina faſtis, ratus exarari, quæ ab Erneſto delerentur. O Ducem timore ipſo amandum! *Tu* Gratianus ultra Gallias, Italias ultra Valentinianus, Theodoſius ultra Hiſpanias, Druſus extra Romam. Didicit tandem Orbis, Quid in campo valeant Altenii? quid in urbe propugnaculis contumace poſſint! poſtquam fecerint. Nihil à vobis, ad triumphi pompam, prætermiſſum, quod auſi non fuiſſetis; nihil auſi eſtis, quod, ſtrenuiſſimis non propoſuiſſetis heroibus; nihil propoſuiſtis, quod univerſos non decuiſſet imitari. Omnium heroum animæ, citra ſuperſtitioſam Pythagoræ metempſichoſim videbantur Erneſti artus incoluiſſe, quorum conciſæ vitæ periodos, pneuma vaſtiſſimum ampliaret.

Dum hic itaque, ad occaſum vergentem Pruſſiam, protracta victoriarum ſerenitate, irradiat; micat, ut fulgur

fulgur in Oriente, Carolus ab Alten, Ukrainenses campos, in laurearum feraces Colonias, ferrea manu excultarus. *Illam* videlicet lacessivit gentem barbariæ, quam terror Orbis Macedo panico visus timore afficere, compulit hic in fugam scythas, vel ideo non assecuturus victoriam. Quis enim inter manubias Thracum spolia referat? Sagittariis adornet trophœum! Rudis moribus barbaries, sed ferro acuta; gelidæ Mæotidis incola, exardescit, in prælia: plurima tenet latifundia, & nulla possidet. *T*erra sterilis scythia, sed sementis Cadmeæ feracissima. Huic itaquè in *P*oloniæ exundanti campum, aggerem se opposuit, id est antemurali Christianitatis pectus adamantinum. Stetit in barbam *S*atyrorum gregibus Caroli virtus, improbum caput, unà cum vitæ stamine avulsura; ante tamen fronti barbaricæ adurens notam, priùs mente, quàm vitâ, spoliatæ. Sensit ictum Tartarus, hoc enim illi duntaxat restabàt, ut sentiret, erepto animo. Igitur, ululatu vindicaturus vulnera, Cælum exasperat, densâ jaculorum nube, solem eripit orbi, & unà clarissimum heroum sidus Altenium, dextro privat lumine. Prospiciet tamen Carolus, unicæ Lechiadum pupillæ, *L*ibertati, uno oculo perspicacissimus, cùm longè clariùs plura videat amœnioris Cæli oculus, quám millena noctis sidera. Cœcam fortunam obtrusisti manibus *S*cythia, erepto lumine; an veriùs, cæcum Patriæ amorem intelligere debeamus? quô deperiît Sarmatiam, & hostis periît oculatus, Scilicet fugit delicatior Caroli pupilla Tartarum, ne cõfinio disfiti licèt, ejusquè nefandi sceleris læderetur. Quid enim, ad egerendum dolorem reservaretur? si potiùs; totis artubus propinaret hosti cruorem, quàm guttam stillaret lachrimæ? *A*d oculum sit orbi Christiano, non terga, armosquè, hostium armis, objectasse *A*ltenios; sed minarum

Illustrissimus Carolus ab Altẽ Bokumius post multam stragem infideli um cadit gloriose.

narum Supercilium, heroicam frontem Martis faciem, Gradivi pectora. Dextro etiam connivente oculo, præfixam scopo, configet barbariem, ferietquè quidquid arcus minabitur. Dux in amorem oculus eripitur? quid itaquè superfit? præter odiorum exercitum? & ad vindicias castra instructisfima? Fatalis hic Universæ Thraciæ scopulus, oculus est! hians, effossâ palpebra, tumulus! abruptum tartari barathrum! *A*criùs lacesfita virtus desæviet, sole publico indignum Thracem, vitæ lumine exutura. Erigit se, omnibus major periculis Carolus, & pari fortitudine, turpè fugientibus occurrit suis, & Tartaris. Siccine, [inquit] o miles! tot partas laboribus calcaneo præcipitas laureas? potiornè vita, quàm fama nominis, emori nescia? sat ignominiæ! cæpisse fugere. Dixit, & in medium se jaculatus hostem, irruit, gaudetquè viam stravisse ruinis. Illud, per erogata mille vulnera, empturus nomen, quod veneraretur posteritas, immortalitas coronaret. Hunc conto, hunc gladio, hunc grandi supercilio exanimat; *S*olus ad victoriam obex, cæsorum cadavera; mora longior ad triumphum, assiduitas feriendi. Jam penè, multo cruore ebrium, mortibus satiatum hebetaverat mucronem, pectore magnetico, sexcenta attrahit tela; ut à suis avertat. Tandem millenis obsitus vulneribus, pluribus à se inflictis, non inglorius cecidit, grande suum trophæum, ipse; post fata etiam ad tartarum usq; persecuturus Tartarum. Magnus jacet, qui magnus cecidit; ad ipsa rudera demissus Rhodii Colossus, prodigium Universi est, & orbis miraculum. *A*cutiùs, magnum heroem loquerentur, tot mucronibus sarissisquè obsita vulnera, ni sagittarum acumen, Saxo *B*O-KUMII hebetante, ipsa quoque ferro fuissent obturata.

Plures Augustos laureatosquè Manes, anteactis sopitos ætatibus, non resuscito. Quid enim vel ipsis mauso-

mausolæis gravem, refodiam consepultum dolorem? *Illi*, longa serie, fumosas, avorum, proavorumquè imagines, publicæ proponant luci, *Majorumquè* Ceras accendant, quibus, nullus affulget honoris radius, præter Solem; lux nulla micat alia, præter primam. Origo vestra *Illustrissimi* BOKUMII, *Semigalliæ* Ducum gloria est; reperîstis inter fascias fasces. *Arbor* Familiæ vestræ, ceu Dodonæ nemus; sive, quòd ex truncis hostium surrexerit, & inter Imperatorum Sceptra adoleverit; sive, quòd nullam securim admiserit, præter Senatoriam; sive quod Oracula fuderitis eloquio, factis miracula. Vester sanguis, ceu Erythræum, gemmas parturit, Ducalibus Clavis, Sceptris Augustorum, signatoriis annulis inserendas. Non adornamus proinde, BOKUMIORUM decora, adscititio verborum apparatu, cùm sublimior, quàntumvis stylus, Ducum Celsissimorum non attollat facta; nec virtus efferatur laudibus, ipsa sibi elogium. Solus *Illustrissimus*, Joannes, Henricus ab Alten BOKUM, magni Ducatûs Lithvaniæ Dapifer, Artileriæ Regni Generalis, Capitaneus Zavichostensis, Tuus *Progenitor*, amplitudine meritorum, ad angustias (ut tabella Apellis Alexandrum) nos redigit; qui, licèt virtutum Compendium extiterit, majora tamen vendicat Volumina, & Fastos. Vnicum ille Regni delicium, Cor *Regum*, & Nobilior anima, trium Poloniarum Regum CA-SIMIRI, MICHAELIS, & JOANNIS tertii, novus Hercules Gallicanus, adeò devinxit animos, ut concatenatas attraxerit gratias. Semel ad Cor Regium admissus, semper affectus coronatos retinuit carior *Ephestio*; gemmeum à pectore monile; bajulus Regii vultus, Cordisquè Principum Smaragdus. Prodigium est istud! unus, serenitatem universo invehit Titan; unum *BOKVMIVM*, tres Poloniarum Soles, beato quodam influxu irradiant! reddituri Illu-

Jllustrissimus Joannes Henricus ab Alten Bokumius Progenitor.

Jllustrissimi Antistitis Toga & Sago Clarissimus.

E

strissi-

ſtriſſimum, niſi autoram etiam *Illuſtriſſima* prævenisſent merita, pro quibus Themidis, decideret gladius, non Gratiæ litarent, quàntumvis Regiæ. Diem itaquè ſolis ſemper Progenitor Tuus nactus fuerat, dum viveret, qui faſces diſtingueret trabeis, in majora inauguraret ſubſellia, & curules. Quid enim, ex Solio deſcenderet, præter altiora laticlavia? quid, Auguſtiſſimi porrigerent affectus, præter Purpuratorum gremium & ſinum? quid auguſtalia obtruderent meritis, & amplisſimæ BOKVMIORVM Domui, præter ſolis Coloſſum? Concinnâ, omniq; numero abſolutisſima, perſonabat rectefactorum harmoniâ, ut *Memnonis* ſtatua Saxum Veſtrum; dulcis meritorum concentus, blandè vellicabat aures *Principum*, in tripudia provocabat animos, ut proſiliret in Sarmatiæ Hectorem bravium; in Senatorem Toga, in *Numam* cultus & veneratio; tot videlicet congiariorum ſtipendiis, indefeſſa belli ſtudia, conſilii maturitas, pietas in *Patriam* perſolverentur. *Traxerunt* hæc in curas maximas, coronata Capita; unica *Regum* ſolicitudo, de BOKVMIO, pro integritate Patriæ adeò ſolicito! Igitur, novas Purpuras, mente texere, quæ pretioſum ſudorem, propinatumquè hoſti abundè ſanguinem, imbiberent; fabricare curules, ad pulchrum quietis otium; *Senatorias* (fortunæ *BOKVMII* fabri) procudere ſecures, ſi publicæ ſecuritati proviſum, ſi hoſtem, malleum inter & incudem, relictum eſſe velint. Et cùm hæc, ſexcentaq; dignitatum laticlavia congererent, necdum omnia ex aſſe BOKVMII perſolvebant merita. *Multiplex* videlicet, debebatur trabea Generali; Univerſalis & ſimul ſingularis virtutis Duci, totum honorum exercitum, decuit militare; ne tantùm, Princeps aſtrorum, divite radiorum ſatellitio; Dux Æthereæ cohortis Cynthia, ſplendido ſtellarum comitatu

mitatu; adamas pretiosior, radiante lapidum grege circumventus superbiret. Tales, honorum, in aciem Generalis, expediebantur legiones, confœderato nexu fascium, cum laureis. Non licuit nempè, tanto Hectori feriari, absquè solenniori honoris pompa. Tot heroicis actibus comparato habitu eminendi, procedere decuit, per triumphi gloriæquè Olympia, paludatum Senatorem. Sed receptui canere imperavit Generalis, ne illum, victoriarum vestigiis lassata, assequeretur Dignitas. Haud recuso inquiebat, securibus dexteram; sed refertam manubiis, sed hostium jugulo hebetatis. Armos submittam purpuræ, post arma; post sagum, togâ supervestiar. Ille, virtuti meæ murex concolor, quem, hostilis intingit cruor. Priùs hostium hostis, quàm Pater Patriæ, audire percupio. Adeò BOKVMII Saxum ad honores obstinatissimum! quod nec Amphion ipse movisset unquam, si filo purpureo instructam pulsasset cytharam. Ergo post menses Martios, ad Regni mensas; post lanceas & bella, ad bellaria, liberalitati Regiæ Te invitanti, gere genium. Publicæ fortunæ mensa est, dulce laboris obsonium. Paruit legionum Imperator, longiore edoctus usu, frangere robur hostium, fregit benemerentium panem. Discubuit, ad Dapiferi epulas, tota Lithvania, illa dexterâ, qua hosti porrigebantur toxica mortesquè osseæ, melioris alimentum vitæ desumptura. Ille verò ad Regalis triclinii lautitias necdum satur, orexim famescentis sopiît famæ. Seposuit tantisper Mavortis curas, Cereri dedicatis manipulis, cùm & ipse Titan, beneficia terris profusurus, fronte exporrecta dispenset radios telluris nutrimenta. Dividebantur dapes dum interim magnas cogitationes, cum Orbe BOKUMIUS divideret, nec alia mensa arrisit palato, nisi, quam mundi mappa adornaret.

Adaman-

Adamantino fœderis nexu, colligaverat Cererem cum Bellona; ad frugaliores cornucopias, infestum bellis arietem, adusquè polum relegando. Hæc prælibare duntaxat licuit, in laudes Vestras effuso calamo; quod si de flumine oratorio guttam instillamus, Cor affundimus de exundantis animi præcordiis.

Linea Materna Illustrissimi Præsulis Sceptris affinis.

Jam lineâ Maternâ (qui Illustrissimo subscribat Nomini Tuo) ad amussim examinari exambit stylus. Illos jam adoro Penates, quos, tot ingentia incolunt terrarum Numina, quot ultra homines assurgentia BRANICIORUM Nomina. Licèt verò, ad superos promoveantur virtutibus, & colantur ut Dii, non exuunt tamen humanitatem. Omnes proindè hujus Prosapiæ homines, sed illi, quales perquàm difficilè repererit Diogenes, in conferta hominum multitudine. Honorii, Scipiones, Numæ, Catones in Sago, Duces in toga, Patres Patriæ. Arbor consanguinitatis Vestræ, ceu Xerxis platanus, gemmat margaritis, Mitris Principum, ac Regum coronis distinguentibus, folia in Laureas, in mille trophæa protendit ramos, semperquè renata Nobilitate viret. Haud aliter propagatam adeò Familiam Vestram computare liceat, quàm per multiplicatos honorum splendores maximos, per congestos subselliorum fasces, ceu per radios Solem, Illustrissimæ Matris Tuæ linea, Sceptris JOANNIS tertii Poloniarum Regis parallela! Vestrum Sanguinèm Serenissimi inter venas recondunt, & purpuras colorant. Domus hæc, Solis Regia est, Serenissimorum Zodiacus Principum, & perennis statio. Reflectuntur in Vos de coronato SOBIESCII clypeo, mille radii; Vestras, Poloniarum Soles, accendunt Ceras; Avitos splendores, Orbis Sarmatici nutrit Serenitas, quam ut protractam màgis, diu noctuquè, ad meridiem honorum proveheretis, Gryphibus

Maternis

Maternis demandatæ vigiliæ, ne ſolus pro Caſtore Pollux, non minùs poſt fata ſuperſtitibus Vatum ingeniis, ac immortalis ævi militaret gloriæ. Diem proindè perpetuum, *R*egnorum Soles, Vobis procreant; Vos conſervatis, ad publicæ felicitatis Curas, ad exantlatos pro Patria labores, ad magni momenti negotia, ad res maximas. *A*mat *A*pricum iſtud, *P*oloniæ *A*quila, huc bonis avibus Illuſtriſſimus Honor involat; nidum dignitatum poſiturus Celſiſſimum, faſcibus inter faſcias involutus, & in prima pene infantia, reptat per Scuta Coronata.

Quantùm porro, ex Illuſtriſſimo *Lubomirſciorum Srzeniava*, exundet Gloriæ? *T*e ipſo metire Antiſtitum maxime. *T*enet altum, in hoc Erydano Tuum Saxum, ad prodigium Univerſi, & in Solis Coloſſum degenerat, illucq; Tuus procurrit ſplendor, quò ſol ab axe protendit radios; quò ſe evolvit *Srzeniava*, tot Regnorum tractibus, terrarum ultra limites, Gaditana ultra procurrens Herculis littora. Tantus es! Præſulum Supreme, ut terris circumſcribi nequeas. Illud etenim quod, terraqueum globum coronat elementum, in Tuas Ceras influit, quas attollat. Deſpumet proinde, ceu Herſoneſſus arenas aureas, quibus fortunatiora fluant ſecula: Talem, Avitum probat Saxum, ceu Lydii attactu. Hoc itaq; Lapide pretioſo, ſua ſceptra, undarum Regnatrix Lympha; hôc, Tridentem diſtinguit *N*eptunus, hôc Princeps *Lubomirſcia* Proſapia, *L*apide etiamnum, annulo Procancelarii inſerto, ſubarrhat *Srzeniavæ* Adriaticum, ad publicæ tranquillitatis malaciam. Non una prædivite manu, eâquè Nobiliſſima, Illuſtrisſimæ vitæ hauſiſti alimentum; totam immenſo pectore, recondis Piſcariam, unde publicæ arridentes felicitati exoriantur *S*oles, ad Mitras Tiarasquè pro-

manent

manent gemmæ. Ludit in hoc Erythræo, non Cæsaris duntaxat fortuna, verùm, totius Sarmatiæ oneraria, soli gravis livori; pretiosis onusta mercibus, secura navigat libertatis *Argo*; sive quòd inter conjuratas, Decumani fluctûs procellas, Vos ad Clavum Palinuros respiciat; sive latrantis fauces Scyllæ & *Charybdis*, hiantesq; obturet fauces Saxo, & citra naufragii resarcienda damna, ad arcticum axem compulsa, acu magnetica. Prodigium est! quòd soles exteros, juxta admiratione attonitos, atquè Zodiacus affixum Eclipticæ Titanem teneat. *In* amplissimi Sinarum Imperii sinu, lapidem legimus educari, lacus unius littoribus circumseptum; naturæ limites prætergressum. Quoties ille, undarum visceribus absorbetur, purpureo toties lacus integer suffunditur colore, veluti, se tangi ictu lapidis intelligeret, pulchrum superinduit ruborem, ad verbera. Rubet virtutis colore, Murice purpuratus *Lubomirsciorum* Rubicon, BOKUMIORUM inserto Lapide, & quà latè per totam diffunditur Poloniam, purpureo sanguinis nexu, trahit secum prosapiam BOKUMIORUM colligatam. Sed quid ego, exiguam mari cymbam commisero? stylo humili, altum metiar? hauriam pugillo immensum? quidquid Gradivus invictum, Mitræ Celsissimum, fascés Senatorii Illustre, familiæ pervetustum; quidquid deniquè, profanæ adorant Curiæ, sacræ venerantur *Aræ*; id totum ceu in polygono Color, radiuś in sole, in Oceano torrenś, in *Illustrissimo* *Srzeniava* & unà Illustrissimo BOKUMIORUM Saxo, relucet, ineſt, & redundat. Hôc Rubicone, Vellus aureum Jasones imbuunt; hôc laureæ humectantur; Hunc laticlavia sitiunt, bibunt trabeæ. Pulchras tamen triumphi maculas, hostium tabo inustas non diluit; ardet Gradivo, ebullit Patriæ amore, ad intima Vestra,

ſtra adve.ctus præcordia. *Aſſurgunt* ſummis tantùm culminibus aſſvetæ Celſiſſimæ *POTOCCIORUM* Cruces, Tiaræ affines, intimæ pectori Tuo, Sanctitatis Tuæ inſignia. Evehis illas, ultra Culmenſis Mitræ faſtigium, virtute celſiſſima, & ſolenniorem exaltationis adornas pompam, in *Tui* inauguratione. *Męciniorum* Roſæ, ultra muricem, Martyrio ſanguine rubricatæ, purpuream diſtinguunt chlamydem, & Caput Præſuleum coronant. Eminentiſſima *Maciejoviorum* Nomina adſtipulantur ſua magnitudine honoris culmini; *Sago*, Togaquè conſpicui, Illuſtriſſimi *Kurdvanovii*, *Wapovii*, *Oleſniccii*, *Czerminii*, totumquè Roxolani Leonis robur, Atlanteis lacertis Suis, Cælo affine, ſuccollant faſtigium. Quodſi, Celſiſſimorum Ducum in Oſtrog, *Mitras*, *Tuis* involutas trabeis evolvamus? quantus Celſitudinis aſſurget apex? Jam KOSTKARUM Solea, olim in Palatino Sandomirienſi, propè ſolia Regum, Throno minora calcans ſubſellia, nuper ad apotheoſis inaugurationem STANISLAII, Solis prætergreſſa viam, tritum aperit iter ad impervia cæteris Culmina. Inter ardentia Sarmatiæ vota, Superis Cælites ignibus *Tuas* accendunt Ceras, id eſt Illuſtrisſimo ſuffragantur honori. *Talis* tantusquè es Præſul *Maxime*, ut cùm Summa omnia in terris exceſſeris ſubſellia, ad ſuperos ipſos, Sacram promoveas dignitatem, non humili meritorum culmine. *Infra* privatam etiam felicitatem *Tuam* videbatur eſſe, ut publicâ quantùmvis fortunâ, proſtrati calamitatem populi ſublevares, niſi Cælum quoquè ipſum, nova beatitudine adimpleas, imò ſanctum magis efficias. Hinc eſt quod tantâ, *Cælilitum* affinitate ſublimatus, ceu Numen quoddam colaris; non minore cultu dignior, in *Senatu*, quàm in Templo. Ubiq; ſcilicet, habent ſummi, quantumvis

tumvis Proceres, & Magnates, cur se Tibi acclinare debeant, evectam nempè propriam dignitatem, *Tuâ* minorem eminentiâ. Id verò, quod pace *Tua* loquimur, non superementienti Oratorum dictioni, sed *Tuæ* supereminentiæ; non adumbranti atræ sepiæ, sed Patritiæ claritati, & fulgori; non fucatis penicilli coloribus, sed bene animatæ virtuti, & mori ignaris imputa meritis. Tantò, nos remotiores ab Oratorio fuco, quantò Tu Antistes, ab ostentatione longior sublimior. Quid enim, solidiore Saxo, tenaciùs hærenti virtuti, emarcidos inspergamus flores? sequimur tantùm ductu panegyris, in infinitum abeuntia merita, non assequimur; metimurquè in tabella Geometris non absimiles, in longius ævum provectas Virtutes; quarum amussis æquior est rectefactorum ratio. Hebetat màgis, quàm acuit ingenia Tuus *L*apis, trahitquè elogia ad suæ virtutis centrum, in quod innato propendet nisu, non attollitur, desudantibus licèt calamis; nec aliô, fabrica panegyris solidari exambit, præterquam illô, cui inconcussa insistunt merita, alto publicæ felicitatis fundamento.

Videbamur, paulò remotiùs à Te recessisse, dum per Tuorũ Heroũ acies, per Purpuratorum Senatum, per amplissimum, Colligatæ Domûs Regnum, pererraremus blandiùs, imò ipsum etiam adiremus Empyreum. Ubiquè videlicet, solicitas Tui investigandi curas, non obviæ virtutis vestigiis (quibus ipsa insisteret Pietas, procederet *H*onor) impresſimus. *O*rbem Sarmatiæ, Imperiiquè confecimus; sed instar circini, Tui honoris puncto hærentes firmissimè. Reflectebamus per Sceptra Serenissimorum, *M*itras Principum, *C*lavas Ducales, diffusos radios, ad Te sidus maximum. Jam tandem, properantia vela intendere liceat, ad littus saxeum, ad fortunatas *I*nsulas, ad spei optimæ

pro-

promontorium. Subſiſtimus proinde, in primo Nobilioris Vitæ Tuæ limine, ubi *Tu* veluti ſolis *Regiâ*, alter *Phœbus* poſitus, primam hauſiſti lucem, qua orbi illuxeris, novo luminis tanti incremento. Prælibavit Te Polona *Ales* oculis, adhuc in via lactea ſidus illuſtre; ex prima vitæ aurora, ſolem alterum inferebat. Geſtavit blandum onus Fortuna ſuis manibus, faſcias innodans faſcibus, protunc etiam devinctiſſima; ne videlicet Tibi ſoli naſci, & non publicæ felicitati oriri crederetis. Quot jam maxima, de *Te* diſceptantia diſtraxiſti auguria? Fallebas tamen, futurorum non bene præſaga omina, Te magnum fore pollicentia, cùm adhuc fuſus cunabulis, in eam proceſſeris magnitudinem, quâ major aſſurrexit nemo. Ita videlicet, primis lineamentis, Te diſtinxit natura, ut plures, easq; nobiliores, complectereris formas, innumeras virtutes præferres animo. Et jam facilè quisquam aſſequi potuerat, quò tandem Præcurſor maturante adnitereris veſtigio. Quoties certatum de *Te* acriùs! Jure hereditario, Ducum ab Alten, *Te* ſuis vindicare armis Gradivus; texere ante prætextam laureas, immaturo quamvis Vertici; parmas, galeas, clypeosq; excoquere Vulcanus; acinacem manui infantis aptare Orion, Sagum faſciis prævertere; veluti primis vitæ lineamentis, grandis ſupercilii minæ, pulchrior ira fronte, toto pectore *Mars* legeretur. *Riſiſti* vagitu infantili ſpes Bellonæ immaturas, chalybem molli confringens pulvillo; quin, ipſis etiam ubertim cadentibus lacrymis, (quibus pars bona vocis ineſt) perorare auditus es. Non alius (inquiebas) ardor, meum aduret animum, niſi qui Ceras *Majorum*, Sanctioribus ſuperaccendat altaribus; ipſe pro Veſta, Flamen flammas enutriam; recrudeſcentis *Martis* vindi-

Infantiæ Illuſtriſſima horum præludium.

vindiciis, focos cæteri foveant, fumoſas adornent imagines; mihi Ara, chara eſt. *Talibus* promanata lachrimis gaudia, geſtiente animo, cùm tenère non poſſet *Religio*, Superis, in vocaliores Joanne toto ivit gratias. Jam palatium, in Univerſalis quoddam Sanctitatis Pantheon, & virtutum Domicilium initiare, dedicare cunabula in Aras ſacratiores ubi inſtitit, Infantia Joannis, virtutis propemodum vultum induit: Delphica modeſtiæ cortina, velavit oculos verecundos, ne profano etiam intuitu læderentur. Diviniores facie reſederunt Gratiæ, lux quædam inuſitata, ſole vel ipſo major, exporrectæ ſerenavit frontis Supercilium, totius deniq; tenelli Corporis habitus, tali ſe compſit Ornatu, quali virtus paludata Syrmate incederet. Hinc ultro citroq; ſe manibus porrigebat ſcipio, qui necdum aſſvetos inſiſtere pedes fulciret innocuos. *A*nhelo ore *C*aput ambiebat Infula, priusquam tempora coronaret; annulus digitum, auguſtal Sanctitatiś pectuś, Crux Pontificia vendicabat. Solam tantummodò vitæ maturioriś ætatem, vitta præſtolabatur.

Igitur priùs mentem, prognata Divino vertice Minerva; levior calamuś, dexteram; gemmeum animi candorem, niveuś paginæ nitor, evicit ſub haſtam Palladiś. Victaś proinde manuś, non citra libertatem dediſti Minervæ, ut liberiùs Campo *T*ullii colligereś laureaś, colligaresq;. Exacuiſti in primo *L*ycæi veſtibulo. ingenii acumen *L*apide, ut, perquàm ſtrenuè literaria in arena decertares cum omnibus; & cunctos vinceres Palæſtritas. Nemo uſpiam ſolidiore paſſu inceſſit, à primo limine literario, quia Tibi ſola mens ſagaciſſima, eò usq; ſuffragari viſa, ut, in intimum reconditioris ſcientiæ auguſtal penetrares, quod vix à longè cæteri venerarentur. Ita *Tu*,

ceu

ceu Lydio lapide, Saxo patritio auream probasti mentem, ut unà omnem lapidares ignorantiam. Illos duntaxat fixisti pedes in Lapide, qui Te in Parnassium collem deducerent. *Mentis* honestæ face, prælucebas illi, quam pridem, edax rerum tempus consumpserat, Cleanthis lucernæ, non minùs, evibrante scintillas Saxo, quàm radiantis serenitate ingenii, perquàm abundè dispendiis consulturus. Impallueras voluminibus, antequam ruberes purpurâ. Prehensurus aliquando Pedum Pontificium, manibus pedibusquè contenderas in eruditorum atria; sed Apollinis testudinem longiùs post Te reliqueras, progressu celeriore. Aurei certè prodigus temporis, omnia liberaliùs impendisti horarum quantùmvis minutissima fragmenta, ad integritatem literarum; pretiosis dierum momentis erogatis, Palladis sub hasta prostantem mercando sapientiam, quam, semel terris, gemmea fuderunt tempora. *Non* aliud porro, colludenti ingenio Tuo, theatrum debebatur. præterquam, perpetua Comitiorum sedes, Capitolium consiliorum; ut in illa, digladiantis ingenii arena, tota spectante Sarmatiâ, imò, *Orbe* universo, ad spectaculum confluente; pulchrè contenderes de laurea, Tiaris præludente. *Suffragabantur*, tantis adorearum congiariis, ad quævis ardua superanda, facile ingenium, continuo immoriens labori vivida indoles, qualia Jovem decuissent, dum Minervam pretiosum Cæli partum, terris eniteretur. Caput Tibi vastissimum; quod *Apollo* cum Musis incoleret; pectus Palladis *Æ*gide obarmatum. Jamquè in illo Poloniæ meditullio, eo ante prætextam processeras, instructus Tullio, eo Scientiarum adornatus habitu, qui *Togatos* Catones decoraret, adornaret plurimùm Patres *Patriæ* purpuratos. Docuisti orbem,

Studia literarũ Illustrissimi Antistitis acerrima.

bem, cùm disceres, pòsse ad liberi Regni viscera, absolutum *Sapientiæ* dominium admitti, postquam admiseris. Humili olim tugurio, & inter rupium cavernas, *Musas* habitantes, maxima humanitate, ceu *Pyrrhus* ad gemmam, ad Tui Lapidis Orbem invitâsti, per Campos Tullii oberrantem, pari humanitatis officio convocâsti eloquentiam, ad Tui animi augustal. Hinc severiores scientiæ, apud Te mansuescere, in tripodem abire rostra credebantur, Joanne, citra Delphicam cortinam, ad solem publicum fundente mysteria, & oracula. Et licèt Joannis, atquè Jovis Satellite *Aquila*, procul relegaveris Periclis fulmina, solùm tamen reservâsti acumen, quô, in aliis torporem expungeres; adderes calcar gloriæ. Ita rimabaris profundiores Euryppi vortices alto ingenio, ut docta jeceris jurgia, plusne Scientiarum hauseris? an illæ *Tui*? Consensêre in hoc, divisæ in se scientiæ; ut Tu aggregatum quoddam, pluribus coalitum scientiis, ac universale quoddam subjectum, prædicareris singulariùs; primis exedris proponereris thesis Oratoria. Dulciùs, ad Tuos plausus, aures mulcebat Aristotelici organi concentus; saliebant in verticem laûreæ; soli Stoici subsidebant, Te exedris assurgente. *Totâ*, in illa Academo laurearum Sylva, Porphyrii arbore eminebas, docta præmia frontium ad plantas adrepentia, citra ambitionis fastum, calcabas passu non humili. Ad solem tandem Aquinaticum eluctatus, post Academi umbras, tot illustribus circumventus cogitationibus, quot soli cohærent radii. Ardebas equidem plurimam perdiscendi orexim, Theologico sedare mari, sed vastiorem mentem haud implere poteras, postquàm semel, induxeris in animum, *Abyssum*. Restabat *Tyberis*, post exhaustos in Polonia

Ionia latices, post superatum vertice Carpathum; ultra *Alpes*, montes Tarpeii, supparem mentem Tuam invitabant. *Et* placuit, ardentiore Cælo, reaccendere animum, Polonum, Romano, commensurare Caput, Capitolio. Demisit aliquantum, de alto Supercilio *Roma*, omnia ad suæ magnitudinis molem decrescere rata, quidquid est minus Cælo, ubi ad Tuum Caput reflexerit oculos. Hinc, eâdem laureâ quâ Romanum redimiri assuevit, *Tu*um præcinxit *C*aput; ceu idem foret Tibi ingenium, cum Orbis Capite. Quod jam reconditius *T*e fugeret mysterium? quod reserare nequiveris? cui claves *PETRI* ad manus, ad *C*apitolium præsto Caput esset sagacissimum. Nihil proinde, Orbis Capiti decerpsisti, præter lauream, quam quia Imperiorum triumphatrix *R*oma, Tuo imposuit Vertici, mentiś Tuæ gloriosior triumphus est, pulchrior laurus incruenta.

Jllustrissimus Antistes Laurea Doctorali Romæ coronatur

Vavellus, Te Quirinali Colle, reducem suscepit, futuri præsagus fastigii; quô, assurgit altiùs, jugum triumphanti se subjecit plantæ, ut jam ostentaret Poloniæ *T*uam Eminentiam. *N*on enim, assuetus sublimibus, quid humile, vel primo limine calcare potuisti. Huc enim post Vaticani diadema Capitis, ad trinam, ultra Romànaś laureaś, coronam invitatus, Canonicus Cracoviensis, in Collegio *A*ntistitum, Tuis quoquè *I*nsulis præludente, procrearis; veluti Infulati Honoris cunabula, primam Tuarum dignitatum infantiam, suo gremio complecterentur. Poteras quidem, tunc etiam, præcelso Vertice, Sublimiores attrectare *T*iaras; è vestigio ad Culmen infulati honoris eniti poteras; lentè tamen, hoc est ad gravitatem gressu composito, ad majora Subsellia properâsti, ut constaret Universo, quan-

to meritorum pondere onuſtus incederes. Quæ tamen Adalberti ſub roſa ut latitarent, Gneſnenſis unà Canonicus, Officialisque Varſavienſis; Proles Polonæ *A*quilæ Gneſnenſi hæſiſti nido; ad *R*egum Solia, *S*ole publico dignior. Minora hæc ad Tuorum comparationem meritorum ſubſellia, ceu giganteos humeros ſortita, Tecum grandeſcere videbantur. Nullus ſcilicet in *T*e Honor pumilio, cui ad Culmen virtus evecta ſuffragatur. Minores dignitates acceptabas, dum maximas mereretis. Talem *T*e Protonotarii *A*poſtolici notavit penna, quam, in *T*e honori involanti, ſubtraxiſti; ne *T*uo Nomini ſubſcriberet lectiſſimo. Strinxiſti Protonotarius calamum, ut publicam proſcriberes calamitatem, auro cedroque digniores inſculpens characteres; ſancita luce publica digniſſima, quæ atra adumbraret ſepia. Dignoſcebaris ex manu ad Scipionem aptiſſima; nos ex digito metiebamur gigantem, cui orbis Præſuleus cum gemma *R*egni inſideret. Huc niveus nitor paginæ, album adjecit calculum, ut aureis characteribus concinnaretur, orbis Capitis judicio diploma, virtutibus Tuis exaratum. *T*u verò innatæ ſtylo modeſtiæ, ceu gnomone inſperſiſti umbras, ne in momenta properè maturantes horas illuſtriſſimas legeremus. *P*lurimi proinde abibant dies, citra honoris Infulati meridiem; celeriùs ſe noſtris oculis ſubducebant ſoles, ut non repudiando diem ſplendore ingeminares.

*E*nituiſti tandem funeſtiſſimas *P*oloniæ inter umbras, ſidus maximum, cùm noſtro trioni Sereniſſimus *S*ol occidiſſet. In Tua duntaxat fronte (ad quam planctibus fœdata Sarmatiæ pupilla proſpectans, à lachrimis ſibi temperaret) JO*A*NNIS III. vitam, fatorum inclementiâ deletam legebamus.

Suppli-

Supplicatum Tibi, ut mortem Universo Orbi gravissimam, *Tu* quoque etsi ferres ægerrimè, omnium consensu portares tamen gloriosè. Ibas melior Fabricius, aut Cyneas, jam non pro domo sed pro tumulo regio Orator, Os protunc gementis Gentis Poloniæ, Civium doloris acerbissimi Interpres, lachrimantis Populi Pupilla, Cor *R*egni, fatali ictu saucium. Ibas inquam Præcursor, Legatus Romam, affusurus *T*yberi lachrimas, quas littoribus cohibere haud valens Vistula, in latè diffusos campos Poloniæ protruserat. Apprehendit Orbis Caput doloris vehementiam, quam ex lugubri *T*ua facie luculentiùs colligebat, etsi necdum saucio protrusam pectore, tristè clamantis Vocem perciperet. Perorasti gemitibus, qui ipsum Tarpeium montem, quodam doloris sensu tetigissent. Stetit ut Niobe, rupes Petri attonita, ad dimotum vitæ cardine SOBIESCIUM, ad *A*ntemuralis Christianitatis dirutum Columen, emollita lachrimis, pene cecidit. Adeò occasum Serenissimi, remotissimis subjectasti oculis, ut nemo esset, qui Orbis jacturam non videret, nemo videre posset, ubertim exundantibus lachrimis, pupilla naufragante. Tantum pondus Orationis gravissimæ injecisti, ut colles Quirinales gelido dimanarent sudore, tota in anhelitus gravissimos diffluere Italia. Vix etenim tantum fatorum piaculum, crimenque læsæ Majestatis, Petri clavibus subjeceris, & proprium cordis laceri augustal reseraveris, exnunc remisiùs sævire dolor sentiebatur exdivisus. Sed omni serenitatis fronte, se Orbis Caput exuit, Sole Poloniarum occidente. Non ita tamen prægravi mole luctuum Romam fatigâsti, ut levamen non adferres. Colligebat Italia corruptum lachrimis vultum, ex Tuo supercilio. Tu verò cum impressisti

Legatus Romam ac ad Imperatorem Principesquè Christianos expeditur

pressisti Pontificio animo sensum, ut pro justis JOANNI III. solenniore pompa adornatis, justa referres præmia. Referendarius idcirco utriusquè Signaturæ, Justitiæ & Gratiæ promulgatus, pulchro Themidem cum Gratiis nexu devinciens, ut, si quæ Apostolicæ Sedis *Gratiâ*, Tibi litarentur munia, ex Justitia deberentur. *Promovisti* longiùs ultra Tyberina littora lachrimas ad Danubium, & Adriaticum, eodem stylo lugubri, Imperatorem Principemquè Venetiæ, Sabaudiæ, Florentiæ, Parmæ, Medenæ, *Mantuæ* Duces confixisti, postquam FULMEN ORIENTIS abiîsse in cineres; SALVATOREM VIENNÆ haud in salvo esse; Imperii defensorem deletum, Christianarum Imperatorem Copiarum, fatorum paruisse imperio, vixisse demum SOBIESCIUM, cui hostem vidîsse & vicîsse idem erat, concisa deplorares periodo. Ad dolentis itaquè *Imperii* habitum, biceps Aquila, in elegiam voces oloris ementita est, Lesso flebili decantatura *Regis* funera, torsitq; in circumjacentes *Imperio Regiones* fulmina, quibus sternerentur universi, cadente Rege. Tantùm valuisti in animos, præsidiis eloquentiæ instructissimus, quod Mars ipse, armis non auderet. Crescebat, *Te* Oratore gemituum amplitudo, lacerabantur incisis Corda, lumenquè ipsum Orationis, funestioris umbræ squalorem accendebat. Animasti nihilosecius in Tui elogia, tot ora Principum, ivêre post *Te* in Sarmatiam *Cæsarum* Principumquè encomia, cùm enim Regem laudaveris, *Te* Cæsares laudabant & Principes, Oratorem digniorem, qui immortalitatem Regum, non funera nunciaret. Roma verò ubi primo licuisset, pullum deposuisse habitum, togatæ facundiæ Purpuras adornabat, statuitquè *Piscatorii* annuli gemmâ, ita digitum

tum Tuum, qui decursum viæ Regiæ demonstraverat, coronare, ut unà os facundissimum obsignaret, ne *Muricem* excusares.

Talia de Te Orbis Judicia. *Tales* tot Gentium consensus unanimes. Verùm Tu arcani elogii *Tui* tenacior, quæ de Te in Vaticano formabantur Oracula, ne Orbi revelares, Secretarii munus eo animo admisisti, ut securiùs, tanquam velo Delphico circumcinctus, lateres pretiosus. Sed quemadmodum densissima quantumvis nubes, radium non subtrahit Titani, clariùsquè fulget opacis noctibus adamas obvolutus; & splendidi augustalium parietes superinduti Sipario, nitorem non exuunt; conchilio sepulta spirat non vile pretium gemma; disertiùs post cortinam fundit Apollo oracula; ita nec *Te* occultare patiebantur modestiæ velamina, quin investigante Honore, in lucem publicam produceteris. Cæterùm ut ne ipsi quidem Dignitati, violentiùs in *Te* involare fas esset, indultum tantisper excessui modestiæ; ad intimum proinde Regii pectoris augustal admissus es, Cor *Regium* subintrasti. Sed hîc quoquè prodidit Te magnum *Regni* Ministrum, *Regum* Serenitas, ut Polo nostro radiares Sidus Purpureum. Annuêre votis nostris *Superi*, ut *Tua* præeminentiâ coronarentur merita, ut Clementinis *Montibus*, & Celsissima Virtute Tua, admovereris ad Mitras, in majus fastigium evehendas *Tuo* Vertice. Quid enim Summus Pontifex, Cælo affinibus Collibus, operiosiùs attolleret, quàm *Lapidem*! qui magneti non absimilis, ubi se totum ad Sidus Clementinum reflexisset, traxit quoquè radium, ad Illustrissimi Nominis incrementum. *Magnum* omnino jubileum, Româ indulgeri nobis plaudebamus, *Tui* ad Infulas indulgentiâ. Inter annos

Gratiæ illum quoquè referebamus annum, quô JOANNE Antiſtite Mitræ initiatæ, beârunt Ruſſiam. Peccâſti Antiſtes innocentiſſime, tantiſper pura infulati Honoris omiſſione; Igitur ad Sacra ſupplicia pectus, ad aureos torques Collum, manus ad rotam annuli, ad trabeas lacertos impertiîſti. Totus purpureo ſuffunditor rubore, ob contemptam aliquamdiu à Te dignitatem. Favit AUGUSTUS ſecundus fortunæ noſtræ, & publicæ felicitati, dum Themidis, ſuisquè Enſibus decideret pro Vitta Præſulea, emerito Vertici Tuo innectenda. Leo Ruſſiæ fregit tandem Tuam modeſtiam; ultra Carpathum Premislienſes ſurrexêre Colles; ad Olympos evecta Mitra, Tuo promota Vertice. Tu porro, cum Premislienſi Infula, grandes cogitationes in coronatum Caput admiſiſti, qualiter ſubmoveres Tiaræ Verticem, referresquè gratias; non ideo acceptâſti tamen Infulas, quod acceperis. Sed interdixit Roma Voci Tuæ, honorem deprecanti. Ergo victas, dediſſe manus faſcibus coactus, JOANNES in vinculis; aureus Præſul, honoris obligati grande monile, Cedat aliis dignitas haud in vile pretium ambitionis, aut publici quæſtus mercedem, iis videlicet, qui ſui demiſſione ad Aulæ obſequia, mercantur Culmina, popularem captantes auram, lenibus favoniis committunt vela, parent ut aliquando imperent, priùs ad omnem nutum Magnatum ſe effingunt, quàm ſuis annuatur intentis, verbo inſerviunt tempori, ut vel ad diem dominentur. Tu Antiſtes Illuſtriſſime, omnium conſenſu votorum exoratus, diu longèquè quæſitus ab honore, illas etiam ambitionis eliminâſti umbras, quas vel appingere poſſet Apellis penicillus. Non enim aureo hamo reluctantes piſcaris, trahisquè honores, ſed traheris Clementis Stellâ, magnes animo:

Poſt plurima Dignitatum Sublellia ad Infulã Premislienſẽ evectus

animorum elevaris, Tui pretio ad Mitras, gemma *Præsulum*. Pulchrum hoc moderationis *Tuæ* elogium! quòd prodroma virtute nec non splendido meritorum comitatu præmisso, exquisiveris dignitatem, omnibus ad prodigium, plurimis ad imitationem, vita compositissima adornaturus Vittam *Præsuleam*. Plura tamen supererant merita, quàm quæ Infula posset coronare, unde una dignitas, non humilem gradum, seipsâ alteri adornabat. Quin etiam contra innumeras virtutis meritorumq; phalanges, dimicaturo non absimilis honor in meta stitit Procancellarii annulum, ad quem hastiludiis præluderet Fortuna, Tu triumphares. *Grande hoc Tuæ Gloriæ theatrum est!* Sphæra Orbis Lechici, in annulum concentrata, Tuis se ultro ingerit manibus, quam Tu novi accessione splendoris, illustriùs serenas, dum Tuis Regniquè Ceris admoves. Provisum amplissimè publicæ felicitati; si etenim conjurati venient in classica venti, Reipublicæ nostræ non satis conjunctè animorum compagibus, cohærentem onerariam obviis allisuri scopulis; Tu melior *Neptunus*, gratiarum Tridente, tumultuantes compesces fluctus; navalia Clamantis Voce dirimes prælia, ac more Veneto, subarrhabis annulo mare, & reddes pacificum. *Metire* jam publicæ fortunæ commensuratam *Tuam* magnitudinem, Antistes maxime, quæ in tantam excesfit molem, ut ægrè vel Orbe circumscribi potuerit. Hic tamen si in porrectam meritorum planitiem se evolvat, Procancellarii Sphærà annuli, vix eadem in puncto attinget; aut certè continuum meritorum Tuorum, maxima quantumvis dignitas punctum honoris est, non fastigium. Quodsi Aurea virtutis Tuæ regulâ honorem computabimus? constabit evidentiùs demon-

strarum

ſtratum, plus meritorum Te expendiſſe Honori, quàm percepiſſe ſtipendiariæ dignitatis. Illæ ipſæ Regales Aquilæ, quas *C*eris imprimis, ad Solem publicum eluctantur, quòd Tuæ adhæreant manui; hinc Te in Curulibus ſedente, ſurgit ſeipsâ major Dignitas, ampliſſimi vix ſe capere poſſunt *T*ituli, anguſti Tibi. *I*n eam etenim provectus es ſublimitatem, ut, ſi majores etiam in Tuum Caput proſilientes Infulas non omnino reſpuas, inflectere tamen demiſſiûs debeas Verticem.

Non humile proindè adornat Euchariſticum, etiamnum in præſens à *T*e non repudiata dignitas, quòd videlicet Summis quibusve Mitris, *C*elſiorem *F*rontem, Culmenſi *I*nfulæ ſubmiſeris. Culmen equidem Infulati Honoris ethymo Culmenſes jactant Tiaræ; hic tamen quantuscunque honoris apex, *T*uo Saxo celſiſſimo minor. Summus ſemper fueras, & ſolo Te magnus, priusquam Culmenſis audires Antiſtes, ideò tamen, Tê minorem admittis Infulam, ut te tandem impleat Culmenſis dignitas Nomen illud, quo abblandiente ſibi Culminis vocabulo gloriatur. Altum ſcilicet es honoris fortunati, & fortunæ honoratæ fundamentum, præcelſum Culmen Culminis. Invenit tamen moderatio Tua, vel in Summo honoris faſtigio præaltum humilitatis gradum; nimirum tranſcendis ſublimi paſſu pedum Pontificium, teris affuſum plantis *C*ulminis apicem, ut cùm, Summo poſitus culmine minor eſſe nequiveris, ex humiliore ſaltem clivo videreris. Sed non detrahit evectæ ſolis magnitudini, in axe medio Zodiaci fixior ſtatio: nec ideo ſuis orbibus locata de immenſa mole amittunt majora ſidera, quòd ſe ſublimiùs radio viſuali ſubduxerint, & exigua cernantur. *S*upremus aliis apex primaquè dignitas, ſecun-

Tandem Culmẽſis Antiſtes renuntiatur.

secunda Tibi, nobis faustissima. Nimirum secunda Te inter Antistites *Infula*: Secunda inter Senatores Poloniæ recenset Purpura, & adhuc supersunt merita, quæ grandibus meritis Tuis lucem ferunt. Hæret tenaciùs Clementinis *Montibus* Saxum Tuum, imponitur ceu Lapis Angularis Culmensis Basilicæ fundamento, totius amplissimæ Diæcesis altaribus sese impertit, & universis templorum Aris ad *Tui* inaugurationem, non sinè festiviore pompa, Sacerrimus Honor *Tuus* adornatur. Quæ porrò in gestiente tripudiis populo, tot suspiriis votisquè communibus expetita, *Tui* in Episcopum Culmensem inauguratio exciverit gaudia? collige ex omnium fronte exporrecta, non dissentiente vultu ab animo. Parem Tiberii Cæsaris fortunæ gratulatur sibi sortem Summus Coronarum *Mitrarumque* apex Crux Illustrissimi Culmensis Capituli, pretiosissimum Te *Præsulem* hodie præmuniens, ac plurima signans uno in Lapide Cimelia, & unà meliore *Lapillo* notat Te Præsulem aureum. *Tu* verò grandioribus meritis eminentior, ultra culmina tantùm non Cælo, *Tuo* Vertice Illustrissimam Crucem inseris, Te totum virtutū Pantheon in augustal, pectus innocuum in Aram digniorem initias sacrasquè. Applaudit quoq; non humili fortunæ suæ Culmensis Palatinatus, credit enim in gentilitium suum Campum *Te* Præsule Pæstum Floræ Provinciam, pensilesque Semiramidis hortos immigrâsse. Talem Tu purpureo calcaneo efficis, ditasquè messe aureâ. Non abhinc fessos ducet boves agricola, vertetquè terras vomere, priùs scissurus terram, quàm panem; sed prædivitem excolet campum Fortuna campi Domina. *Tu* verò Præsul florentissime, quidquid ex Diæcesi *Tua* floris provenerit, totum in decus temporum, totum in ador-

K nanda

nanda expendes Altaria, Qui ſicut ad ornamentum refloreſcis ſeculorum, ita ad commoda terrarum vivis. Circumſtant adhuc Tuum Lapidem ejusdem Palatinatus Patritii Campi Arbores, ne ſola Hetruria in Dentrite lapide, nemora Sylvarumquè lucos, ac florum varietatem, depingat prodigioſo naturæ penicillo. In Patmum tota abit Provincia, ubi Tu JOANNES citra deſertum licèt, non tamen ſinè applaudentis animi voce diſertiſſima, adoraris. Adeo videlicet lucem publicam exhauſiſti, Præſul Illuſtriſſime, ut umbram duntaxat, ſeu Culmini, ſeu Palatinatûs Arboribus hærentem reliqueris; ſub hac feſſæ hactenus Provinciæ, imò toti Patriæ quietem conciliaturus placidiſſimam, & unà in Tui panegyres excitatiſſima Tulii ora ſopiturus, qui cum prædicanda geras tenuis prædicari. Verùm prælusit inaugurationi Tuæ, tota laurearum Sylva, inter millena Gradivi fulmina palmas parturiens, & Chriſtiani exercitûs frontem, ad Belgradum redimiens. Hac ipſa nimirum luce, qua Othomanica Cynthia, proprio innatans cruore expalluit in Hungaria; Tu ſecundâ Purpurâ in Pruſſia decoratus, ad ſexcenta tormentorum tonitrua, Vocaliùs, Culmenſis Antiſtes perſonabas; tot interim bellicis pulſabantur machinis Belgradi mœnia, ne ſinè tanta ſolennitate, feſtivæ inaugurationis Tuæ, abiret dies. Immugiebant belli fragores ad captam Orientis belluam; cum interim Te bellè loquerentur acclamationes publicæ, animo tripudiante. Te unum, terſiore facundia Juventus declamare, votis continuis expetere viri, ad Te laſſata annis Senectus ſuſpirare; Omnem deniquè ætatem, in vocaliora deſideria proſilire; tot antè malis fædatum corruptumquè vultum, in meliorem formam fingere, abſterſis lachrimis,

Eo die quo Belgradũ arctiùs a Cæſarianis copiis obſidetur promulgatur Pontifex.

chrimis, mœroris antiqui oblivisci, ipsa non sentire vulnera. Una vox omnium, JOANNES CASIMIRUS BOKUM aurea revehit secula, ævum florentissimum, vel a Casimiri liliis; dies fortunatiores, & annos Gratiæ. Assurget collapsa felicitas, & tanto sublimata Honoris Culmine, & perenni Saxo solidata. Schovæ *Te* primùm (ubi *Tu* grande Coronæ nostræ depositum substitisti) Præsulea dignitas venerata. Ad limites Poloniæ, emeritis lacertis trabeas, Mitram capiti; pedum ingessit manibus supplex in limine Honor. Diu equidem differebas desideria nostra, sed diutiùs merita coronanda. Vacabat aliquantum Sedes, sed Tuis meritis non vacabat. O quoties supplicatum Superis! ut maximis majorem Infulis frontem, Culmensi Tiaræ submitteres; ut amplecteretis hanc Provinciam, animo & mente, Regni negotiis limatissimâ. Sentiunt jam, suo collo propemodum impendens *Tuum* Saxum, publica innocentiæ scandala; pallent ad *Purpuram*, detersa fronte, crimina; plurimùm præsumptuosa violatæ fidei, desperat dissensio, Orthodoxa *R*eligio, spei melioris figit anchoram. Habent angularem Lapidem, suis basibus titubantes, altumquè Sepulchrum prospectantes Vertice, Ædes Sacræ. Quibus verò in *R*atem PETRI, conjuratæ procellæ allidantur, in *S*axo offendunt Scopulos. Illa Sanctitatis majestate, Zeliquè amplitudine implebis Templorum penetralia, quibus haud ita pridem adiisti Saxoniam. Unxisti nobiliores Christi Athletas, & unà è saxo ad Superos viam duriorem indicasti pollice, tot Cælites Tibi habiturus obæratos, quot Divorum nominibus homines accumulasti. Cùm itaquè unum Regnum *Tuo* non sufficiat zelo, Superabunde Zelus Tuus, transcendet unam Provinciam

Schovæ renunciatur Antistes Culmensis.

In Saxonia Sacramentum Confirmationis impertit.

ciam. Illuc Pontificiam operosè protendis manum, quò *Tridentem* Neptunus. Colliges palabundas oves, unam in Colchidem, cui non potior mens, dispersa conquirere, quàm tueri inventa. *Talem Te* expertus Leo *Russiæ*, in Zodiaco honoris. Talem nos, ad Ursam minorem supereve&#1;ctum pollicemur. Novimus enim, quantùm Reginæ *Poloniæ Sceptra* per Russiam diffuderis! Veluti Pastorali vigilantiæ Vellus aureum; Mater dolentissima filiali JOANNIS solitudini, & tutelæ, iterum demandaretur. Tui proinde pectoris tenerrimo amori; Tuæ *Pastorali* curæ; Tuo irrequieto labori; *Tuo* deniquè Saxo, debetur plus ultra promotum dolorum Mare. Vacaret ut tantisper operosa colonorum manus, pium doloris onus *Maria* succollante; Dies solennior, de feriarum labore remitteret; gravi sub vulnere laborante Virgine, Premisliensi Diæcesi imperâsti Antistes; studio indefesso effecisti, tot clientes Virginis cultui devotissimos, quot homines; tot juratos *Mariano* Honori *Annibales*, quotquot Colonia illa Gradivi, alit heroes. Huc scilicet Premisliensis *Antistes* industriam omnem intenderas, ut lenires acutissimum doloris sensum in *Maria*, in totius Diæcesis præcordia sese exonerante vulnerum acerbitate. O Tuam in dolorissimam Matrem pietatem! ita eam, singulariori privilegio, accepisti in Tuam, ut omnium faceres *Parentem*. *Profundiore* homagio hæc adoratur à pluribus? Tu inclinâsti. Dolores ipsi sunt cordi devotissimi populi & amantur? Tu commendâsti. Subintrat *Magnatum* augustalia? *Tu* palatia reserâsti. *Per* supplicantium ora volitat? Tu JOANNES pennam addidisti. *Non* ita tamen acutiorem doloris sensum Saxo *Tuo* in populum evolvisti, ut illum proprio non exarares animo; præivisti

Solennio orem cultum Dolorosæ Virginis Máriæ in Premisliensi Diæcesi promovet.

ivisti signatæ pietatis exemplo, Pastor ovibus, *Tuis* vestigiis sanctiùs hærentibus; Singulari Dolorissimæ Virginis cultu præludens publicæ venerationi.

Sic porrò Sacratiores *Tecum* dividis cruciatus, ut simul publicam calamitatem arceas à populo. *Praxitelis* cælo insculpta Bonæ fortunæ icon, olim ab Universo Latio adorata, Tuo se intulit *Saxo*, vel ideo plantis affusam Lapidis *Sphæram* exambiens, ut è vestigio occurrat obviæ egestati. Ad hunc videlicet Saxi Scopulum gravibus naufraga lachrimis inopia, allidit infortunia; tantò à Parcis remotior, quantò Tuis Gratiis propior. Novum hoc! pallidum auri metallum, in sinu egestatis, gravi necessitatis telo confixæ, ceu Sarcophago recondis, nil màgis reformidans, quàm ne fulgore auri, ut sol radio, prodaris munificus. Scilicet quàm prodigus es in alios, tam parcus laudis propriæ; quas effundis liberaliùs Gratias in *Lethen* oblivionis præcipitas. Felicem inopiam quæ vel obtutum lucratur Tuum. *Tamdiu* inopem egestatem, quamdiu Tuum sub conspectum non adrepit. Vix enim oculis prælibas alienam calamitatem, sentis ut Tuam; totusq; tangeris commiseratione, ut reddas auream, *Midas* melior. Illis verò Te liberaliùs impendis, à quibus Numen ipsum in pignus abit, Diviniores cedunt Gratiæ infænus, preces cariores in debitum. Declamat Gratias Tuas Jaroslaviense Collegium, *Tuo* utiquè Nomini se toto devinctissimum; Tuæ Favonio Gratiæ debet remissos hibernos rigores, Casimiri liliis debet florentes JO*A*NNE*S* gratias. Verùm *Tu*, beneficiis obstrictæ gratitudini minaris JO*A*NNIS catenas, & vincula; obsignas ora annulo. Paremus itaquè Virtuti *Tuæ*, & nostræ consulimus tenuitati, plura etenim, à Tua liberali manu conferri nobis, quàm nos

Virtutes Illustrissimi Antistitis.

L referre

referre posse calamo, est inconfesso. Hoc nimirum Mecœnatum elogia exaggerat maximè, quòd omnia superent. Sculpit *Protomartyris* Saxo Nomen Tuum, gratiis coronatum, triumphali suo ferro *Mathias*, & novis fascibus obligatam involvit *Asciam*, Sortem hic videlicet Tyrocinii Cracoviensis, à *Tua* manu profectam, grata revolvit mente, & triumphantis causæ suæ laureis, Vittam Præsuleam distinguit. Se toto sibi concolorem, quia Purpuratum Lapidem *Tuum* Stephanus coronat, grande sui *Tuæque* *Mitræ* pretium.

Sed latiùs Virtutum Tuarum pretiosa extendis decora; fugit è vestigio Sacrarum *Ædium* squalor, ad *Tuum* ingressum; ad *Tuæ* majestatis Frontem, nobiliorem quoquè vultum induunt *Aræ*; virtutis simulacris adornantur Altaria, à *Tuis* Ceris, illustrioribus collucent ignibus. *Influis* in mores etiam, ne major monimentis nitor refulgeat, quàm animis. Ita detonas, ut sternantur crimina, in spem vitæ Sanctioris sontes erigantur. *Non* enim tanta indignatio exasperat supercilium, ut prædominantis iræ impetu agitari, impellentisve vindictæ motibus concitari videaris; cùm nihil oderis præter vitia. Qua verò magnitudine animi, mentisquè vastitate excellas! Majores hæ, quàm ut perplexarum vorticibus causarum absorberi, ingentium mole cogitationum valeant adimpleri. Ad hæc mille Charites, exporrecto vultu resident; Vix *Te* oculis populi ingeris, exinde omnium subintras animos. Ad *Tuæ* Frontis serenum in risum quiritantium gemitus abeunt. Non *Te* intra laquearia ædis Præsuleæ, veluti Vestale aliquod latibulum, Veneratio occulta recondit, aut intra parietum custodias, non proficua cæteris solitudo vallavit

lavit unquam; non parietibus sed Orbe clauderis, Cælo operiris non tecto, vota omnium accipis & refers; adiri facilis, comis alloquio, aures tamen à pedibus excludis, ad quod etiam infimam cadere sortem prohibes; labentem erigis. Hinc ita liberalissimi Vultus majestate, calamitatis exples oculos, ut màgis màgisquè expetaris videri, amari præsens, absens desiderari.

Ita porro Te Præsulum humanissime, hominibus dividis; ut Superis dones integrum. Vix enim sopitas quiete curas excitas; totus præaltis cogitationibus, in Cælum raperis. *Præis* auroram Sidus illustrissimum, soli vacaturus Deo. Hinc dies singulos, in festos initias; Omnis feria in diem Solis abit, quodlibet horarum punctum, tanti apud Te momenti est, à quo beatior pendeat æternitas. Horæ singulæ, Horæ Canonicæ, *Præsuleæ*, Divinæ. Talem curriculum dierum conficis, qui *Te* ad Polos usquè evehat, priùs Sanctum, quàm Beatum. Si verò *Te* Aris admoves; nullam propiùs accessisse Virtutem, si litas Superis? ipsam sacratiora peragentem mysteria credimus Pietatem. Dignus es Antistes pientissime, ut assurgas altaribus, qui tot, Cælo Phidiæ digniores virtutes animo insculpseris. Deprimit Te subinde ad genua, mentis elevatæ Orationisquè gravissimæ non leve pondus; sentiunt ejusmodi onus marmora, etsi aliquando sudore difflu-ant, hunc precum intensio eliquat, distillat Divinus fervor. Diffuderat sese per artuum compages Tuorum, febrium malignitas, Tu interim nullam impertiîsti Tibi sublevationem, ut indulgentiùs habereris, nihil de pietatis sensu remittens, intensiùs peracri dolore sæviente. Tot ingravescentis mali aculeis, clypeum patientiæ, Virtutemq; objecisti heroicam.

roicam. Illuxit solennior introductionis *Tuæ* dies, qui Te quoquè, ceu Numen quoddam, in sanctiora limina introduci gestiebat; tum subitò pertinacioris morbi incendia, tanto virium dispendio nutrita, ne vestigio quidem relicto, Te, Sacrarum Ædium limen attingente, sunt exstincta. Sive quòd febris arceri debuerat Templi aditu ob illatam Pontifici violentiam, sive quòd tam sacrilegos ausus Ecclesiæ azylum non admittat.

*A*udiît Culmensem Antistitem *R*oxolanus Leo, & rugitu lamentabili, aerem turbaverat, ut auctiùs nostra resciremus gaudia. Quantus surrexit apex Honoris Infulati! Tê summis majorem *I*nfulis Tiaræ Culmensi Verticem submittente? Quæ Oris gravitas, quis fulgor promicat oculis? quæ totius Corporis dignitas? Quàm pretiosè argenteus sinu nitor rutilat! Illæ manus ad pedum aptissimæ? Ille Capitis Vertex venerandus ad Infulas, totus deniquè motus *P*ræsulis plenus majestate, & Throno dignus. *T*alibus instructus es dotibus, non à fortuna, quod non postremæ id quoquè felicitatis foret, Sed à *T*e *I*pso, quod Divinæ & Tuæ indolis est. Festinabant proinde *I*nfulæ, ut Te sibi præriperent, jam succollaturæ subdebant alas *A*quilæ, jam vela impellebant Favonii, ut nos votorum portum teneremus, cùm Vistulæ littus attigeris.

*A*nnuêre hodie Votis nostris Superi, ut vultu quoquè *P*ræsuleo oculos impleremus, post tot anhelitus, & desideriorum prope jam tædia. *P*erinde Tibi Præsulum desideratissime, atquè publicæ felicitati occurrimus, qui ad Commoda Orbis Poloni nasci, in ornamenta seculorum educari, in fastigium *H*onorum videris grandescere. Revolvit *T*ecum Illustrissimi Capituli *R*ota, meliorem *F*ortunam, summis

mis involutam fascibus. Illa Tuo incumbit Capiti Infula, quæ de Regibus Poloniæ, imò de Christiano Orbe optimè merito Illustrissimo JOSEPHO KOS servabatur, non tamen ad immortale diadema invitatam attigit Frontem, ut proximè moriturae manus attactu illæsa, *Te* coronaret. *Poteras* equidem, maximis suffragantibus meritis, majores prensare *Mitras*, sed non Sanctiores. Quantum Sanctitatis istud! *Tota* SS. TRINITAS, *Tuæ* Cathedræ titulis sese impertit, in Empyreum abit Basilica, Tu JOANNES primo statim aditu, extra Patmum devenis in illius mysterii abdita, quô profunda hauriuntur ingenia. Quò tandem vel primo à limine excreveris Infulato Vertice? *Trinitatis* Supereminentiam postquam attigeris? Donas magnificum Virtutum augustal Pectus *Tuum*, Illustrissimæ Capituli *Cruci*; Donas altaribus Votum, Cor affectibus; Rotæ fortunam; publicæ felicitati, *Lapidem* angularem. Reliquum est, ut Culmensi Infulæ demittas Caput, per Honoris Culmina, ad curas *Pastorales* contendas pulchro Virtutum passu. Illo tramite ad perenniorem progrederis gloriam, illo stipatus meritorum statellitio, quo Divus Honor, profanâ majorem adornaturus pompam, incederet. Deducunt Te gestientis animi desideria, ferunt manibus Vota. Illustrissimi Capituli Sacer Senatus, ceu radii Soli aut stellatum Satellitium Cinthiæ, Cordi & non lateri tantùm, adhæret Tuo. Quanto se jam agmine in campos effundit Nobilitas? Quanto apprecationum exercitu, ipsis prævolant *Æ*quilis Universi! Omnes viarum tractus circumfluentis populi veneratio, faustæ acclamationes, tripudiantis animi lætitia, occupaverant adeò, ut ne Urbem quidem, Cathedræquè *Tuæ* limina facilè pervio passu adire valeas, quàm per vota,

& ani-

& animos. *Patent* hi, priusquam Culmen
cæ adita patuêre. *Priùs* devincta Tibi subin
ctora, quàm Urbis attigeris limina. Hoc fi
morum interpres lingua Civium eloquitu
omnis, conditionis & ætatis non facilè ad n
revocanda personat populi harmonia. Bla
more, terras pervagantur JOANNIS CA
Regalia Nomina, ipsum Cælum ferit ab Al
KU*M*. Ascende jam *Tua* eminentiâ subl
Solium, illudquè Virtutum extensione, in
*Æ*vum amplia. Diu *Te* talem, faventia publi
citati, servent Numina, qualem primò d
*S*ecunda hæc Infula Tibi, Nobis fortunata,
*M*itras pariat, ne duntaxat ad Culmen Honori
esse Celsissimus, & non dici audireque m
*N*on aliud votis apprecamur, quàm ut pulchru
nium Dignitatum, Senator continues; post m
catas, Illustrissimi Capituli Cruce, decades l
rum, sub maximis Infulis, expectas canos. U
restat ut minimam Societatem, illa, qua soles
volentiæ dignatione, respicias ab alto; Tota
*T*uarum partium est; sacris KOSTCÆ, *Męcinii*,
gnisquè *Branicii Vapovii* Nominibus devincti
In atomum decrescit ad *T*ui honoris Culmen,
ma etiam in encomiis *T*uis, *T*u vero ipse ut
men Honoris, ita ipse Tibi maximum es
Elogium.